



Disputatio juridica inauguralis de stratagematibus bellicis et forensibus

<https://hdl.handle.net/1874/345221>

19.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
_{D E}
STRATAGEMATIBUS
BELLICIS ET FORENSIBUS,
^{Q U A M,}
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JOHANNES ARNOLDUS BRÖKELMAN, Tremontia Westph.
Ad diem 12. JULII, S V. hora locoque solitis.




TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiarum
Typographi, clo Ioc xciii.

D E O
P A T R I A E
P A T R O N I S
F A U T O R I B U S

E T

A M I C I S.



Ex Officina Fratricis H. et W. Gregorii
Typisib[us] eius locis sicut



PRÆLOQUIUM.

Cum in tam deplorando miserimoque statu pro tempore vivimus, ubi undique gladiorum fulgor pertringit oculos, undique armorum strepitus, militum crepitus, cadentium tectorum fragor auditur, undique puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus privata publicaque omnia circumsonant; nonne commercia multis in locis jacent, nonne conquiescent negotiones, pecudes abiguntur, agricultura deseritur, vici exuruntur, villæ evertuntur, civitates florentissimæ exciduntur, sacra religiosorum monumenta effodiuntur, cadavera humatorum irrequietantur, cineres excutiuntur, ossa disturbantur, scholæ delentur, conquisitissimæ summo precio bibliothecæ discerpuntur, cum æquitate silet religio, virginum atque viduarum nullæ, aut tristes admodum funestaque sunt nuptiæ, quid multis? totius saepe anni fructus unius rumore excursionis, atque uno belli terrore amittitur. Hæc hodiernis belli temporibus non tantum vides, sed audis etiam adhortantium Ducum voces, classicorum cantus, clangorum tubæ, sonitumque buccinarum, cedentium impetum, cadentium gemitum, anhelitum utrorumque, tinnitum armorum, gladiorum ictum, clamorem equitum, fremitumque militum, hastis & pedibus incidentium. Ecquis orbis Christiani nunc pars reperitur, quæ ab armis libera, tuta ab incursionibus hostium

hostium , vacua ab intestinis tumultibus ac seditionibus , omnis metus espers sit atque solicitudinis . Ad Ungariam oculos convertere placet , vexat eam & affigit Turca Indies . Vicinum Galliae regnum intueri , placet , vidimus , procdolor , per aliquos annos , totam Galliam in armis , contra patriam nostram Romanum Imperium Germanicum non leviter tumultuantem ; quam plurima oppida in Palatinatu , Belgio & alijs locis sunt obessa , quam multa verò capta & direpta , quot viri præstantes , erexitis bonis è civitatibus quisque suis præcipites ejeciti , quæ factæ cædes , quæ strages editæ , ab quid dicam ? quam plurimæ urbes pene dimotæ & convulsæ sedibus suis , suorum civium in cæde & sanguine nantant . Hæ calamitates atque cruciatus dum non solum ex aperta vi bellica , sed multoties ex stratagematibus bellicis , uti in propatulo est , proveniunt . Idcirco labuit mihi in dissertatione hac mea Inaugurali , hanc materiam de stratagematibus non solum bellicis , sed etiam forensibus , maximè cum inter Advocatum & militem , seu inter sagatos & togatos milites , felicissima collatio reperitur , arripere . Quod dum facio , ad Tuam quisquis es , Lector benevole , benevolentiam configio , ab eaque summoperè peto , ut si non omnia ad stomachum sunt composita , ni favoris pallio tegere , saltem displicantiam suam ad minimum dissimulare velis . Interim remoto omni verborum anfractu , moderante Supremo Legumlatore ipsam aggredior dissertationem .



DISPUTATIO JURIDICA

IN AUGURALIS
DE

STRATEGEMATIBUS
BELLICIS ET FORENSIBUS.

THESES I.



E Stratagematibus bellicis & forensibus ne in casum disputare videar, & præjudiciale causa omis-
sa principalis actionis decisio reddatur elusoria
§. 13. Inst. de act. l. 16. & 18. ff. de except., prius
hanc præjudiciale quæstionem sc. An strata-
gemata bellica & forensia sint licita, brevibus
præmittere & explanare, non abs re esse, puta-
vi. Ut verò magis eluceat hæc quæstio, no-
tandum est, per stratagema nihil aliud intelligi
volo, quam solummodo dolum bonum sive soleritatem laudabilem juxta
t. i. §. 3. ff. de dol. mal. Germ. ein geschwinde Kriegshatt, ein behender vor-
thet, oder listiges Kampffstück. Hoc stratagema tam jure naturali, gen-
tium, divino, civili ac moribus esse concessum, hodiè nemo dubita-
bit; nam cum naturaliter, nec quæ scias, nec quæ velis, omnia aperi-
re aliis tenearis, fas enim est, quædam occultare, sive tegere apud quos-
dam, & hoc stratagema necessarium omnino atque inevitabile his præ-
fertim, quibus res publica commissa est, non uno loco fatetur ipse Cicero
pro Milone Lib. viii. Ep. 9. Exemplum ad hanc rem insigne præbet Fe-
remia historia Cap. 38. Is enim Propheta à Rege interrogatus de obsidio-
nis eventu apud Proceres, Regis postulatu, hoc ipsum prudenter occul-
tat, aliam interim causam, nec falsam tamen, colloquii adserens. Aliud
exemplum ex sacris dari potest, in Paulo, Actor. Cap. 16, qui Timo-
theum circumcidit cum satis sciret, Judæos hoc ita accepturos, quasi
circumcisionis præceptum, quod revera abolitum jam erat, adhuc obli-
garet Israelis posteros, cum tamen hoc non quereret Paulus, sed tan-
tum familiarius cum Judæis versandi facultatem, sibi & Timotheo præ-
bere. Elegans quoque exemplum nobis præbet Josua C. 8. in dicta su-

DISPUTATIO JURIDICA

ga, qualem is suis præcepit ad Hajum expugnandum. Nam hic, quod sequitur nocumentum licitum esse ponimus ex belli justitia, ipsa autem fuga ex instituto nihil significat, quanquam hostis eam accipit, ut signum pavoris, quod alter cavere non tenetur, utens sua libertate, huc vel illuc eundi & magis minusve celeriter, & hoc vel illo gestu habituve. Eodem referri debet eorum actus, qui hostium armis, signis, vestibus, velis, usi passim leguntur. Hinc recte Augustinus dicit, cum justum bellum suscipitur, vi aperta pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest. Et Chrysostomus maximè laudari Imperatores, qui fraude victoriam quæsissent, propterea Jurisconsulti Romani, illud bonum dolum vocant, si adversus hostem quis machinaretur l. 1. §. 3. ff. de dol. mat. & alibi nihil interesse vi, quis an fallacia potestatem hostium evaserit. l. 26. ff. de captiv. Illudque hodiernis moribus adhuc obtainere vid. Gentil. de jur. bell. lib. 2. Cap. 3. Polian. in tract. de stratag. Lipsiens. lib. 5. polit. c. 17. Boter. de stratag. lib. 9. Non obstat, fraudum quas concessas naturaliter diximus, genera quædam a populis, aut hominibus nonnullis repudiata: Sed Resp. id non accidit ob iniustitiæ opinionem, sed ob eximiam quandam animi celsitudinem, interdum & virium viduciam.

II. Sicut enim strategemata bellica de jure esse concessa, uti in prioribus probatum, ita etiam inter litigantes, strategemata forensia in bona & justa causa ad vincendum adversarium adhiberi posse, iudubium erit. Lites enim nihil aliud sunt, quam prælium civile, vel secundum verba Gotof. ad leg. 14 C. de advoc. divers. jud. nihil tam simile est bello, quam lis & judicium; et si hoc verum esse adhuc dubites, sic aliquam compensationem inter Advocatum & militem, seu inter sagatos & togatos milites, & videbis felicissimam collationem. Tam enim in splendore quam promptitudine armorum, togatus noster sagato nulli cedet. Vide armatum, illum & defendantem & offendentem. Si est defendantis, Galea sit bona conscientia, ne ex improviso iactu quicquam turbetur, loricam aptet justitiam, qua munito nihil nocebit, cause bonitate ceu clypeo reliquum tegat corpus, eamque contra tela & objectiones adversarii in tempore obvertat, ocreis constantiæ sit induitus, ne labescat, cum tota sua causa. Sin offendens noster miles vult esse, transverberantia adhibebit tela, ex Themidos sacratissimo armamentario deprompta, eaque exercitatiissimo suo calamo explodet. Tria tormenta majora, ut potè tria illa juris præcepta, ubicunque secum circumvehat, oportet. Si instrumentorum & testium satellitio stipatus incedit, omnia aduersarii tentamina his

bis annihilabit. Ipsum autem bellum togati nostri est processus, quod à sagato milite per clarigationem denunciatur, à togato per citationem, & quod in illo faciunt litteræ diffidatæ, vulgo die absagungs Briefe, in hoc litis contestatio die befestigung des Krieges, facit. Hostis togato est adversa pars, judicium locus pugnæ, dilationes seu seriae sunt indicia, mediatores sunt compromissarii, pro copiis auxiliatricibus stant consilia & responsa prudentum, in replicis & duplicitis varii sunt conflictus. Victoria tota in sententia consistit, & peculia advocatorum sunt quasi castrensis. Et quod singulariter observandum est, ut in bello nihil perficitur, nisi id fiat, vel vi vel clam, sic etiam hoc sit in militia togata; si enim ibidem aliquid aperto jure ad optatum finem produci nequit, statim recurritur, ad juris stratagemata, & sèpius illa clam officiunt, ut quis victoriam in causis deportet, quam iis haud adhibitis, non adepturus fuisset. Ex prædictis igitur satis liquet, quod sicuti in bello, ita etiam in foro dentur stratagemata. Et ideo quæ in bello sagato justa sunt, & hic in togato non injusta erunt. Situti enim aliæ disciplinæ & artes, habent sua commenta. Dialectici sua σωφρονία & elenchos. Rhetores suos calores, fucos & tropos. Duces militares commenta belli *Liv. lib 4.* vel furta militaria. Mercatores & alii contrahentes, suas circumventiones *l. 16. §. 4. de minor. l. 22. §. 3. locati* quas jurisconsulti naturaliter licitas esse dicit, *d. l. 16. §. 4. de minor.* ita etiam in foro Advocati in arduis casibus habent dolos, simulationes & stratagemata licita ad jus suum obtainendum *l. 19. §. 3 ff. de neg. gest. Wesenb. passat. C. de dole malo* vel personam tuendam *l. 1. §. 2. & seq. de dol. mal.* Practici hæc aliquando cautelas nominant, item subtilitates & extraordinarii juris remedia, in quibus nervus, seu, ut Imperator loquitur, ambigua fata causarum *l. 14. C. de adv. dis- derf. judic.* consistunt, quibus negligitis causa ipsa facile amittitur.

III. Sed ne justo diutius huic quæstiōni præjudiciali inhæream, ad definitionem, seu potius aliqualem descriptionem (cum omnis definitio in jure civili periculosa sit, parum enim est, ut non subverti posset) progredior, quam constituo talem: quod stratagema sit dolus bonus, sive solertia laudabilis qua quis adversus hostem latronem adversariumque aliquid Machinetur, juris acquirendi vel conservandi vel damni depellendi causa facta. *l. 1. §. 3 ff. de dol. mal.* Vel stratagemata forensia in specie sic definiri possunt, quod sint callidæ quædam rationes sive subtilia J Ctorum inventa, quibus quis jus suum aliqua sagacitate non solum defendit, sed etiam simul præter exspectationem adversarium vincit. *Brederod. in Epist. dedic. tom. I. cauet. prefix.* Hæc stratagemata dividi possunt, in defensiva &

offensiva.

DISPUTATIO JURIDICA

offensiva; utraque occurunt tam in rebus bellicis, quam civilibus, ut in contractibus, ultimis voluntatibus, processu & causis feudalibus, quæ ut ita sint, in sequentibus perlustremus:

IV. Præmissis illis, quæ ad stratagematum iustitiam, definitionem & divisionem spectant, jam in specie, stratagema, exemplis & quæstionibus nonnullis, illustrabimus. Et hic non inmerito ventilanda est illa quæstio; an plus conducit, dolo seu aperto marte, clamve palamve agere aut belligerare? quamvis olim inter heroos, nonnulli ob eximiam animi celsitudinem fuere, qui dolo uti, planè recusarunt, non negemus, inter quos fuit Alexander Magnus, qui de se dicere solitus erat, se non velle victoriam furari. De Achille referunt Scholiastes Achillem nihil fraude, sed semper palam virtutis fiducia dimicasse. Et Achæos abhorruisse ab omni in hostes fraude, narrat Polybius. Tales Romanitatem quondam fuere dicit Ælianus. Attamen neque etiam, tam inter theologos quam alios desuere, qui stratagema præ aperta vi recommendaverunt. Et ait Polybius, quæ vi fiunt in bello minoris censenda, quam quæ ex occasione & dolo. Atque ita censuisse ipsos illos severos Laconas, notat Plutarchus, ac majorem etiam victimam ab eo immolatam, qui dolo, quam qui aperto marte rem consecisset. Inter Theologos est Chrysostomus, sic loquens: Si nobilissimos duces ad examen voces, pleraque eorum traphæa reperies fraudum esse opera, magisque tales laudari, quam qui aperte agendo, vicerunt. Et magnus iste Apostolus Paulus 2. ad Corinth. 12. v. 16. de se dicens quod sim callidus dolo vos cepi: vid. plura exempla in sacris Gen. C. 27. v. 21. & C. 30. v. 37. & factum non dissimile Prophæta Eliæ 2 Reg. 6. v. 18. & seq. Hoc bene perpendere Galli moderni, propter ea in vexillis suis illud pro symbolo gerunt: *fines se plus fait que la force.* Et hoc verum esse, sat nostris temporibus attestatur experientia.

V. Licet quis, colloquium postulans aut admittens, in bello tacite pollicetur, id innoxium fore collocutoribus, adeo ut si hostes per colloquii speciem violentur, hoc ipso violatur jus gentium; Adeoque Domitius egit perfidè, quod vinxerit Bituitum Avernorum regem colloquii simulatione accersitum, & exceptum hospitio: cautelas tamen optimè collocuto in tali casu adhibent, ne forte incauti opprimantur vel capiantur. Sic Ludovicus XI Gallæ Rex, cum suo equitum magistro, quo cum simulantes exercebat, in colloquium descensurus, pontem amni cuidam imponi jussit; in eo medio cancellæ velut fenestræ factæ, ut conspiciri inter se exaudiret colloquentes possent ac dextræ interjungi P. Amil. 10. Ludovicus Sforzia Mediolani Dux, cum Gallæ Regem non aliter congregari volebat, quam in

in fluminis cuiusdam medio , ubi pons aut navibus aut alia ex materia ita structus esset, ut inter utrumque firmum ac robustum ex lignis vallum intercederet Guicciard. 11. Hist. add. Forstiner. ad l. 2. ann. Tacit. pag.

156. & seq.

VI. Elegans stratagema est, si colloquii specie hostes à belli consiliis avertere, suaque interim promovere, queant; nam dum collocutores nihil patientur illud caret perfidia & dolis bonis annumeratur, exemplum refert Nauclerus generat. 31. Cunradus , inquit : misit fratrem suum Eberhardum , ad vastandam Saxoniam , qui appropinquans urbi Heresberg multa superbè locutus est , sed ecce Saxones ei occurrunt, & usque ad interne- cione sternunt. Audiens autem Rex male pugnatum à fratre , con- gregata omni virtute francorum perrexit contra Heinricum , ac tentavit oppidum gruna expugnare, præmisit tamen legatos ad Heinricum sponte se vellet dare? qui dum venirent in conspectum Heinrici , Saxo qui- dam Dietmarus vir bellicosus , adest : Ne , inquit , Domine , cures , advenient tibi , quas voluisti , copiæ , tringinta legiones , nil vereare. Hæc dolo locutus est , nullas enim copias tum adducere valebat. Legati tamen Regii infecta re redeunt , narrata referunt , mox manè ante lucem , reli- etis castris , Franci unusquisque ad sua redeunt. Vicit hoc modo Diet- marus verbo , quos vincere non valuisset Heinricus ferro. Jung. Math. Flac. de Translat. Imp. Rom. ad Germ. cap. 3. pag. 57.

VII. An pro stratagema licet hostem tollere veneno? queritur , hic bene præprimis , cum Grotio lib. 3. c. 4. §. 2. perpendendum est , quid per tò licere intelligatur, non , quod salva pietate & officiorum regulis fieri potest , sed quod apud homines pœnæ non subjecet. Sic apud po- pulos multos scortari licet , apud Lacedæmonios & Ægyptios etiam fu- rari licebat. Est autem hæc vocis licere significatio minus propria , atta- men verò recepta. Et sic quod dicunt hoc vel illud jure belli licitum esse non tale intelligi , quod actum culpa omni liberet , sed qualem dixi , im- punitatem habet. Ex hisce patet , quod hostem tollere veneno licet , si jus naturæ respicias , nihil enim refert , gladio , igne , an veneno interi- mas. At jus gentium , si non omnium , certè meliorum , jam olim est , ne hostem veneno interficere liceat , qui consensus ortus est , ex respectu communis utilitatis , ne pericula in bellis , quæ crebra esse cæperant , ni- mium intenderentur. Et credibile est , à regibus id profectum , quo- rum vita ab armis ante alios defenditur , à veneno minus quam aliorum tuta est. Et hoc semper detestabile scelus apud probos ac cordatos ho- mines fuisse , legimus. Propterea Valerius Maximus dixit armis non vene-

10 DISPUTATIO JURIDICA

nis bella geri debere. Et Livius hæc, clandestina scelera, vocat. Et sic optimè Cattorum Princeps Arminii mortem veneno promittens, rejectus fuit à Tyberio.

VIII. Cum in th. præced. dictum est, quod jure gentium veneno, tollere hostem non licet, dubium aliquod oriri posset, an tum spicula ferrum & aquas inficere veneno liceret, & affirmare quis posset primo intuitu ob hanc rationem, quia distat à tali beneficio jam memorato non-nihil, & ad vim accedit proprius, spicula veneno inficere, & geminare mortis causas. Sed hoc quoque contra jus est gentium non universale, sed gentium Europæarum & si quæ ad Europæ melioris cultum accedunt, quod rectè à Salisberiensi VIII. 20. observatum est, cuius hæc sunt verba: Nec veneni, licet videam ab infidelibus aliquando usurpatam, ullo unquam jure indultam lego licentiam. Ideo ferrum infamare veneno dixit Silius. Aquas vero sive fontes veneno inficere ait Florus, non tantum esse contra morem majorum, sed & contra fas Deum, sicut, jura gentium Diis ascribi auctoribus solere Grot. lib. 2. c. 20. §. 44. n. 6. Neque verò mirum videri debet, si ad minuenda pericula, tales sint quædam bellantium tacitæ conventiones. Cæterum non idem statuendum de aquis sine veneno ita corrumpendis, ut bibi nequeant, id enim perinde habetur, quasi avertatur flumen, aut fontis venæ intercipiantur, quod natura & consensu licitum est. Ex hisce patet quid de illis, qui ad usum belli, tot vasorum, materiis vetitis & venenatis invectorum, ad interficiendos homines, utuntur, sit dicendum.

IX. An sit laudabile stratagema, tempore belli ad depellendum hostem, omnia ferro & igne devastare, urbes solo æquare, fructus sata & vineta destruere & corrumpere, ruriculis, ne agrum, durante bello colant, interdicere & quæ sunt similia. Quamvis enim, si admodum sint causa suæ oris, ut e. g. causa utilitatis hoc suadeat, vel per hoc brevi ad pacem petendam hostem subigere possit, non negemus, non esse contra naturam spoliare eum, quem honestum est necare, nec contra jus gentium, nam quos interficere, licitum, eorum res cripare & corrumpere, nequit esse illicitum; nisi aliae sint causæ validiores, quæ dissuadeant in foro conscientiæ. Ast si rem rectè expendas, plerumque admittuntur talia, odio magis inordinato, quam prudenti ratione. Idcirco causæ illæ suadentes tum cessant. (1) Si nos ipsi rem fructiferam ita teneamus, ut hostibus non possit esse in fructu. Quod propriè spectat lex divina, quæ in vallum bellique opera vult impendi arbores feras, frugiferas verò servari ad victimum, addita causa, quod non ut hominis, ita & arbores adver-

adversum nos in prælium consurgere possint *Deuteron.* 20. v. 19. *Porphyrius* legem hanc, etiam ad animantia ruris operi inseruentia producit, nam his quoque ut in bello parceretur à Moſe præceptum ait: *Thalmudica* verò scripta & Hæbrei interpres addunt legem hanc porrigidam ad rem quamvis, quæ sine causa peritura sit, ut si ædificia comburantur, esculenta ac potulenta corrumpantur. Multo verò magis hoc locum habebit, post plenam victoriam. Propterea Corinthum excisam non probat Cicero, & alibi horrificum nefarium, omni imbutum odio dicit bellum, quod domibus, parietibus, tectis, columnis, postibus sit. Et laudat Livius Romanorum lenitatem victa Capua, quod non sævitum sit incendiis ruinisque intecta innoxia murosque. Non Obstat Urbes quasdam à Deo damnatas excidio *Jof. C. 6.* v. 27. Etiam contra legem illam generalem arbores Moabitarum jussæ exscindi *2 Reg. 3.* v. 19. Verum non factum id odio hostili, sed in justam detestationem facinorum, quæ aut publicè erant cognita, aut Deo Judice, tanti astimata, ne fortè in posterum per subsistentiam in istis regionibus refricaretur indigni facta memoria. (2) cessat causa, si hostis habere possit aliunde, quo se sustentet: puta si mare, si fines alii pateant. Tali ergo statu optimum factu, ut agricultura, etiam in ipso collimitio tuta maneat, quod sub tributo utrique parti præstanto, factum diu in Belgico-Germanico bello olim reperimus, prouti hoc non infrequens est, inter Hungaros & Turcas, quorum subditi finales, utrique Cæsari fidelitatem præmiserunt, propter frequentissimas utriusque partis excursiones. (3) cessat causa, si res quædam ejus sint naturæ, quæ ad bellum faciendum aut ducentum nihil momenti habeant. Propterea Polybius rabiosi esse animi ait, ea perdere, quæ nec hosti perdita vires adimant, nec perdenti, emolummentum adferant, qualia sunt templa, porticus, statuae & similia. Sic Marcellus ædificiis omnibus Syracusanorum publicis ac privatis sic perpercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda, venisset. In quibus tamen accedit specialis ratio, ut in iis, quæ sacris usibus sint dicata, illa enim conservari suadet rerum divinarum reverentia, maximè inter eos, qui eundem Deum ex eadem lege colunt, etiamsi fortè sententiis quibusdam aut ritibus dissideant. Neque violantur, nisi contemta humanitate. Idem quod de sacris dictum, de religiosis & iis, quæ in honorem mortuorum structa sunt, intelligendum est, nam & hæc quanquam jus gentium impunitatem iræ in ista exercenda indulget, violari non possunt, nisi contemta humanitate. Et summam esse rationem dicunt Jcti, quæ facit pro religione l. 43. in fin. ff. de

12 DISPUTATIO JURIDICA

Relig. Sic Marcellus religione impeditus, non attigit, quæ victoria fecerat profana. Et Polybius ait, cum hominibus irascaris, ob id impiè in Deos agere summæ stultitiae signum est. Adeo etiam à Mahometistis sanctimonia servata loco, in quo Ezechielis & trium Danielis ossa erant condita, testis est in itinerario Judæus Benjamin. Ut taceam quæ utilitas, præter justitiam ex moderatione ista in servandis rebus sequitur. Nam eripit primò, hæc hosti magnum telum disperationem, secundò speciem præfert, manente bello, magnæ de victoria fiducia, tertid apta per se frangendis & conciliandis animis. Conciliis namque contrariis contrariis quoque eventus respondebunt. Propterea à violentis urbium direptionibus semper abhorruit bonitas Christiana & ipsa justitia plerumque, quia abire non possunt sine multorum innocentium malo, & parum saepè proficiunt ad belli summam. Majus sane est Christianorum inter se vinculum, quam olim Græcorum fuit, quorum bellis, ne qua urbs Græca exscinderetur cautum erat Amphiætyonum decreto. Et Alexandrum Macedonem, narrant veteres, nullius rei à se actæ magis ductum poenitentia, quam quod Thebas evertisset. Hinc videmus quid de illo crudelitatem magis quam barbarico statu bellico sit dicendum ubi ad depellendum, hostem, non solum urbes, pagi, devastantur ac solo æquantur, sed quoque ipsa fata & fructus destruuntur, & ruriculis ne agrum durante bello colant, interdicitur.

X. An sit approbandum illud stratagema ubi ad injuriam hosti incutientem, stupra in bello committuntur? Quamvis nonnulli suere qui stupra in fæminas in bellis permiserunt, ut inter cæteros de excidio Magdeburgico refert *Cluverius in append. histor. de excidio Magdeburg Anno 1631.* Imbelli, inquit, sexui abusi sunt ad fædam libidinem, tanta barbarie, ut pueras impuberes: ad necem construparint. Nulli ordini aut sexui ferox milles pepercit. Hi solam injuriam spectarunt in alienum corpus, cui subjacere, quicquid hostile est, juri armorum non congruens judicabant. Melius tamen alii, qui non solum injuriam, sed ipsum efferatæ libidinis actum, hic considerarunt, & quod is neque ad securitatem pertineat, neque ad poenam, ac proinde non bello magis, quam pace impunitus esse debet, atque hoc posterius jus est gentium, non omnium, sed meliorum. Sic Marcellus antequam Syracusas caperet, legitur gesisse curam pudicitiae etiam in hoste servandæ. Atque id inter Christianos observari par est, non tantum, ut disciplinæ militaris partem, sed & ut partem juris gentium, id est, ut qui pudicitiam vi læsit, quamvis in bello, ubique pænæ sit obnoxius. Nam nec Hebræa lege impunè quisquam

quam id tulisset, ut intelligi potest ex ea parte, quæ de captiva ducenda neque vendenda postea, constituit, & hoc fere in articulis præcipuarum nationum christianorum militaribus venerem prohiberi, sub certa poena, quatenus sc. quoque fortè militem enervant, reperimus vid. Konigl. Sued. krig. artic. tit. 16. artic. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. & seq. Hollandisch Kriegsrecht. art. 3. & 4.

XI. Possem adhuc plurima stratagemata de materia hac militari in medium proferre, sed quid mihi diutius cum militibus sagatis, res est, cum me melitem togatum esse, agnoscere debeo, idcirco reliqua quæ adhuc supersunt relinquo istis sagatis, & me ad ea stratagemata, quæ militibus togatis sive advocatis competunt, & quidem primò, quæ in quibusdam contractibus tam offensivè quam defensivè locum habent, erit dicendum, conseruo.

XII. Elegans offensivum stratagema est, quod DD. ostendunt creditori, quo suum debitorem ut debitum confiteatur, convincat, sc. ut ad illum det litteras, quibus significet, se jam scire, quod summam illam debeat, & ob id eum velit rogare, ut solvat, quas litteras si recipiat, & legat debitor, nec protestetur se nihil debere, debitum fateri creditur. l. 16. ad SC. Maced. Menoch. lib. 2. A. J. Q. cas. 21. n. 3. Masecard. de probat. conclus. 151. sic etiam recipiens rationes & retinens ac tacens videtur obligationem agnoscere Mev. part. 3. dec. 65. & rationes intra decennium oblatæ nec intra tantum temporis spatium improbatæ solutionem probant. Mev. part. 1. dec. 79.

XIII. Quando in gravi tempestate jacta est cista & de contentis in arca nihil constat, tunc secundum jus Avariae illa arca in censem communium bonorum etenim tantum venit, quatenus extrinsecus tantum apparet, Weitzius tract. de Avaria c. 7. §. 4. Locan. de jur. marit. lib. 2. e. 8. §. 9. Marquard. de jur. mercat. Ne autem autem ille, qui gemmas, aurum, argentum cistis inclusas in navi reposuit, hoc prædicto modo enormissimè lèdatur, pro ipso hoc stratagema est ut maturè Magistro navis, antequam naufragii periculum existet hoc indicet, quo postea, si naufragium existat, rerum istarum ratio secundum verum præmium in contributione habeatur, & res secundum externum aspectum non æstimantur Marquard. d. l. n. 26.

XIV. Cum incendium præsumatur culpa inhabitantium esse exortum per l. 3. §. 1. ff. de offic. præf. vig. Judex ex hac præsumptione contra inhabitatorem inquirere potest, eumque urgere, ut authorem incendi nominet; ne autem inhabitator, conductor vel paterfamilias, ita præsum-

74 DISPUTATIO JURIDICA

ptione teneatur , stratagema pro eo est , ut probet , se pervigilem & in domo diligentem fuisse , temporeque noctis consueisse admonere servos , ut ignem diligenter custodiant , Sande lib. 8. t. 6. dec. 9. Men. lib. 2.

A. J. Q. cas. 309 n. 17.

XV. Ut emptor castrorum vel prædiorum plane tutus sit de evictione , pro ipso hoc stratagema est , ut publicis Edictis in locis prædio vel castro vicinis curet citari omnes , qui sua interesse & ibi loci aliquid juris habere , putaverint , sub comminatione perpetui silentii Gail. lib. 1. ob. 57. Utrum verò emptor invito venditore possit a Judice citationem edicalem contra quoscunque qui sua interesse putaverint , sub poena perpetui silentii petere , item de forma citandi Vid. Boer. dec 255. n. Gail. 9. d. 1.

XVI. Debitor qui bonis cessit , non statim in totum liberatur ob obligatione & debito arg. l. 7. c qui bon. ced. poss. Sed si postea ad pinguiorem fortunam pervenerit , in tantum quantum facere potest convenitur §. fin. f. de act. l. 4. & 7. ff. de cess. bon. Eodem jure habetur ejus uxor , quæ propter communioam , si prolem habuit , cum marito , ex ipsius ære alieno durante societate conjugali contracto tenetur , adeo ut etiam quod ex hereditate suorum parentum vel aliunde quovis titulo ipsi obvenit , creditoribus mariti in solutum cedere teneatur , cum simplex cessio non sit modus tollendæ obligationis. l. 1. c. qui bon. ced. poss. Brunem. in tract. de cess. bon. quest. 19. pr. n. 1. Gaid. Pap. decis. 343. & conf. 124 n. 4. Ne autem mulieres hoc modo damnum sentiant , pro ipsis hoc stratagema est: ut sibi pactis dotalibus omnia illa bona , quæ ex hereditate suorum , vel aliunde quovis titulo obvenerint , tanquam receptitia reservent , hoc enim casu non tenentur uxores mercatores cedentis creditoribus ex istis bonis satisfacere , cum non facta sint communia , ex quibus tantum æs alienum durante societate contractum est solvendum , nisi statuto vel consuetudine aliud introductum esse , probetur.

XVII. In plerisque civitatibus Germaniæ usitatum est , ut migrantes ex civitatibus , vel demortuorum civium bona efferre volentes in redditionum defensionis ex tributorum certum quid fisco (quod genus vectigalis der abshos , die nachsteur appellatur) solvere teneantur Dn. Mev. ad jus Lubec. part. 2. tr. art. 4 n. 11. quod interdum decima , interdum quarta , nonnullibi tertia pars est , Rauchbar. art. 1. quest. 15. n. 1. Ut autem quis hanc detractionem declinet , primum stratagema est , ut hæres , legatarius , vel alias , cui hereditas , legatum , vel simile quoddam obvenit hereditatem non dividat , nec portionem sibi debitam alio transferat , sed ibi relinquat , & quotannis fructus & redditus inde percipiat.

Ber-

Berlich. part. 3. concl. 52. n. 39. Secundum ut legatarius, si confidit de herede, renuntiet legato vel curet apocham privatam super debito legati fieri Berlich. d. l. n. 21. Tertium, ut defunctus extraneo aliquid non titulo hereditatis vel legati, vel fidei commissi, sed titulo mortis causa donationis relinquat, nam in mortis causa donatis jus detractionis non habet locum, nisi etiam in statuto cautum sit, ut etiam de contractibus & qualibet exportatione bonorum gabella solvatur, uti prolixè demonstrat alleg. Berlich. n. 58. 59. & 60.

XVIII. Quando mater transit ad secunda vota & filiis suis pupillis non petit tutores, nec rationes administratæ tutelæ reddit & reliqua restituit, bona secundi mariti s. vitrici pupillis pro reddenda administratio- ne tutelæ tacitè sunt hypothecata, l. pen. C. in quib. caus. pig. tac. contrab. Neguz. de pig. memb. 4. p. 2. n. 156. Ideo stratagema est, ut ille, qui contrahit matrimonium cum vidua curet redi ab illa rationem, & cum restitutione reliquorum refutari tutelam Berlich. p. 1. concl. 67. n. 83. Gaij. 2. obs. 90. n. 2.

XIX. Ex concubina natis & per subsequens matrimonium legitimatis sepius controversia moveri solet, an omnibus juribus legitimè natorum frui possint ac debeant, & præprimis si exstat statutum, quod in collegia opificum nisi legitimè natus recipiendus sit, ex concubina natis & legitimatis, receptio in collegium quandoque denegatur. Verum ut omnem litigii causam tollant, hoc stratagema pro illis suppeditatur, ut scil. cu- rent sibi dari testimonia natalitia Geburts briffe, quod ex thoro legitimo & parentibus honestis nati sint. Nec potest Magistratus per subsequens matrimonium legitimatis ejusmodi literas natalitas denegare, prout præ- judiciis demonstrat Carp. part. 2. const. 6. def. 15. in fin. Richf. part. 2. dec. 80. n. 15.

XX. Ut honorarii tutores adversus pupillorum actiones sint securi, si forte per ordinarios in rebus pupillaribus damnum aliquod datum est, nec hi solvendo sint, ut damnum datum resarcire queant, hoc stratage- ma ipsis subministratur, ut monendo sedulò instent apud ordinarios eosque hortentur, ut in rebus pupillis administrandis eam adhibeant dili- gentiam, quam diligens Paters familias rebus suis ex bona fide præbere so- let l. 10. & 13. §. 1. l. 33. pr. ff. de administ. tut. & si admoniti vel per con- tumaciam planè non gerere, vel segniter aut fraudulenter administrare pergent, judicem adeant, & segnes ac fraudulentos tutores maturæ & bona fide suspectos postulent. l. 3. §. 2. ff. de admin. tut. l. 2. C. de divid. tutel.

XXI. Filia quæ amplissimam dotem à patre accepit, ut à conferendi

necessi-

necessitate se liberet, hoc consilium datur, ut dote contenta à patris hereditate abstineat, eidemque renuntiet, quo casu fratribus & sororibus suis nihil de dote communicare tenetur. *l. ult. ff. de dot. collat. ibid. Brunem. & ad l. 10. C. de collat. Christin. vol. 4. dec. 2. n. 4.* etiam si reliqui liberi ex hereditate tantundem consequi non possint *Scheplitz. ad consuet. March. p. 3. tit. 3. §. 13. n. 28. & seq.*

XXII. Ex intercessione non obligari mulierem nisi SCto Vellejano & auth. si qua mulier. *C. de SCto Vellej. prævia certioratione renuntiaverit plus quam manifestum est.* Verum cum renuntiationes mulierum variis ex causis soleant impugnari iisque opponi, quod vel non legitimè facta sit renuntiatio, vel non legitima præcesserit certioratio. Unde creditores mulierum intercessiones admittentes, sæpius defraudantur. Traditur autem pro his hæc cautela, ut sc. ipsi mulieri pecuniam credant, ut alius eam non consequatur, & ab ea sibi illam reddi stipulentur, quo casu ex propria obligatione & velut ex constituto mulier tenetur, licet mutuo acceptam pecuniam alii deinde crediderit. Nam sicuti emere ac vendere aut alium contractum inire non prohibetur, ita nec mutuum accipere, aut dare ei interdictum reperitur *l. 15. C. de usur.*

XXIII. Ad præstandam evictionem in contractu emptionis regulariter agi non potest, nisi res judicio sit evicta, *l. 3. C. de evict.* Ut autem de ista evictione sit securus emptor, utile hoc habebit stratagema, ut aliquem subornet, & subjiciat, qui ad eo vindicet rem, quo casu ipsum venditorem ad evictionem præstandam cogere potest. *l. 19. §. 3. ff. de neg. gest. ibique Dn. Brunem.*

XXIV. Cum non habueris ad probandum debitum nisi unum testem non omni exceptione majorem, cuius solius testimonium ad deferendum juramentum supplendæ probationis inventum non sufficit, hoc stratagema utendum: ut ante ceptum judicium alii causam cedas, qui instituta actione & debitore creditum negante, ipsum cedentem cum altero non omni exceptione majore teste, ad dicendum testimonium de veritate crediti offerre potest. Et quamvis in tali casu non videatur cessionarii intentionem plenè esse probatam, quia tamen per legitimam cessionem omne jus agendi translatum est in adversarium, adeo ut cedens ipse censeatur extranei loco. *l. si cum empt. in pr. ff. de pact. l. 2. §. cum quis debet. ff. de hered. vel alt. vend.* ideo in causa sic translata testimonium dicere potest. *Oldendorp. class. 3. act. 2. cum Dn. ibi allegat.* horumque duorum testimonium depositio tantam potest habere vim, ut juramento suppletorio locus esse queat. Duo enim testes minus idonei semiplenam faciunt probatio-

bationem & ad deferendum juramentum suppletorium judicem movere possunt. *Dn. Mev. p. 3. dec. 402. n. 1.*

XXV. Recensitis quorundam contractuum stratagematibus, jam sequuntur ea, quæ sunt ultimarum voluntatum.

XXVI. De jure civili regulariter pater spurio suo nihil potest donare vel testamento relinquerere. *auth. ex comp'lexu C. de incest. nupt. Gail. 2. obs. 88. n. 1.* quod secundum alleg. Gail. adeò verū est, ut etiam statutum, quod in contrarium factum non valeat; tradunt autem Dd. quædam stratagemata, quorum auxilio patres spuriis in ultima voluntate aliquid relinquere possint, quorum (1) est, ut cum pater filium spurium alere debeat per text. singul. in *Cap. 5. in fin. de eo qui duxi in matrim. quam polluit per adulter.* *Paleott. de spur. & noth. C. 49. n. 3. lit. 1.* Pater spuriis tantum relinquat, quantum ad alimenta sufficit hoc modo: Relinquo spurio meo fundum in vita sua pro alimentis, & post mortem ipsius filiis, quibus potest relinquere pro eorum alimentis *l. fin. C. de nat. liber.* & ita quoque sentit *Paleott. d. tract. C. 45. n. 8.* quod tamen procedere dicit si hæc alimenta legitimum non excedant modum, sed talia sint, qualia boni viri arbitratu esse debent, ut tradit *Menoch. de A. f. Q. lib. 2. Cas. 182. n. 33.* deinde obtinet, quando spuriis non habent, unde se alant, secus si aliunde alimenta habent per *test.* in *l. si quis à liboris §. ffilius ff. de lib. agr.* (2) si sint foeminæ spuriæ, pater alimentorum loco dotem eodem modo legare potest *Bart. arg. l. cum post §. gener. ff. de jur. dot.* idemque tradit in *d. auth. ex complexu C. de inc. nup.* modo dos non sit inofficiose aut illegitima, quia tunc fraus forte præsumeretur. *Bart. in alleg. l. §. gener., & præfecto dos congrua erit secundum patris qualitatem & facultatem ut tradit Dec. conf. 611. n. 8.* quod autem tantum procedit, si filia non habeat, unde se dotare possit, ad instar ejus quod de alimentis dictum est *Peregr. de jur. fisc. tit. 18. n. 70.* (3) si pater petit à Principe facultatem aliquid spuriis relinquendi, & princeps in rescripto dicit, non obstante contraria lege sive auth. constitutione *arg. l. 22. pr. ff. de leg. 3.* (4) si pater procurat, ut Principis rescripto in legitimorum numerum cooptentur, nam eo etiam casu legitimorum instar, & una cum verè legitimis ab intestato patri succedunt *Paleott. in dict. iv. C. 45. n. 13.*

XXVII. Pater debet filium, quem in potestate habet, vel heredem instituere, vel illum nominatim ex causis in *Nov. 115. Cap. 3.* expressis exheredare. *l. 30. de lib. & possb.* si autem filius est prodigus vel multo ære alieno obrutus, ita ut patri metuendum, ne bona post mortem pa-

tris illi obventura dissipet, aut illi portio à creditoribus hereditaria afferatur, ita ut post mortem ejus nepotes in paupertate vitam degere cogantur, non potest pater quidem ob has causas secundum alleg. nov. filium exheredare, sed tamen huic malo alio stratagema prævenire conceditur, nempe potest pater præterire filium prodigum, & ejus liberos sive nepotes instituere, filio autem aliquod nomine alimentorum legare l. 16. §. 2. de curat. furios. l. 25. C. de inoff. test. l. 12. §. 2. & l. 47. in pr. ff. de bon. libert. Sic etiam pater videns filium non esse industrium, eum ad certum tempus exheredare potest Mascard. de prob. concl. 715., sic mater, si habet maritum prodigum, instituere potest filium, si sui juris factus fuerit Riebt. dec. 21. n. 48. & seq. Carpz p. 3. const. 9. def. 11. & hæc exhereditatio vel præteritio fit non in odium sed beneficium filii Jul. Clar. §. testamentum q. 41 n. 7. multi enim non malæ notæ exheredant filios, nec ut eis obsint, sed ut eis consulant (v. gr. Impuberibus) iisque fideicommissariam hereditatem dant. l. 18. ff. de lib. & poss. Manz. de conject. ult. volunt l. 4. t. 10. q. 1. n. 26. & q. 13. n. 1.

XXVIII. Quando uxor à marito valde urgetur, ut ex aße eum heredem instituat, tunc ut ipsum placidum & benevolum retineat, pro uxore hoc stratagema est, ut duo testamenta diversi tenoris eodem tempore faciat, & illud quod pro eo est, postea dilaceret, alterum vero retineat, vel ut utrumque assertet, tunc enim hereditas, inter utriusque testimenti heredes æquis partibus dividitur. pl. 1. §. 6. ff. de bon. poss. secund. tab. licet regulariter, nemo paganus pro parte testatus & pro parte intestatus decidere debeat, consulē Manz. in decad. 4. dec. q. 31.

XXIX. Usufructarius omnium bonorum non tenetur ad solutionem æris alieni & legatorum, sed hæres institutus à quo onera hereditaria & legata sint solvenda l. 1. C. si cert. pet. Gail. 2. Obs. 146. Cum autem usufructarius propria auctoritate possessionem capere nequeat, nisi heres sit institutus post mortem usufructuarii, ideo stratagema pro herede est, quod antequam usufructuario bona hereditaria tradat, imprimis æs alienum deducat, distrahenda etiam bona immobilia, si aliunde debita solvi non possint, postea residuum quod ære alieno deducto & solutis legatis superest, usufructuario utendum fruendumque tradat, ut utriusque pars sit incommodum, ut hæres in proprietate, usufructarius in solo usufructu sentiat & habeat decrementum & jus suum diminutum.

XXX. Meretrix etiam de quæsitis ex meretricio quæstu non prohibetur facere testamentum Cyn. in l. meretricem & Bal. in l. 1. C. de condit. ob turp. caus. sed si consanguinei velint sibi prospicere, ut meretrix testamentum.

stamentum facere non possit, sed ipsi ab intestato hereditatem capere que-
ant, stratagemam est, & consanguinei current, meretrici bonis interdici, quod
fieri posse evincit. *l. & mulieri ubi gl. ff. de curat. fur.* idem quoque re-
medium ad obtainendam hereditatem prodigi adhiberi potest. *Johan. Di-
lectus de arie testand. tit. caut.* 12.

XXXI. Filius non tenetur debita patris, si haereditati paternæ se non
immiscuerit, quia beneficio prætoris abstinere potest, ab haereditate, &
ita in eum actio non dabitur. *l. necessariis ff. de acquir. hered. l. i. C. ne fil. pro
par.* Sed in quibusdam locis statuta disponunt, quod filii, quamvis non
sint haeredes patrum, teneantur solvere pro patribus, ne bona parentum
pereat. Si ergo pater solvendo non sit, & vereatur, ne filii pro debitis eo
contractis ex lege municipalī molestiam patientur, & velit filios a necessitate
solutionis eximere, remedium est, ut filios exhæredet, & propter exhæreda-
tionem filii a paternis creditoribus conveniri non poterunt, quia exhæredati
pro mortuis sunt habendi *l. i. §. 5. ff. de conjung. cum emanc. lib.*

XXXII. Exheredatis causa non solum a patre testamento exprimi, sed
etiam probari debet ab haerede quod sit legitima. Ne autem postea, quod
haeres ingratitudinem probare non possit, quia forte testes mortui fue-
rint, qui de ingratitudine filii testimonium dare poterant, testamentum
irritum fiat, remedium est, ut pater vivus & intollerabili injuria affectus
curet examinari testes super causis ingratitudinis in perpetuam rei memo-
riam filio citato, & probata ita ingratitudine filius non potest impugna-
re testamentum. *Job. Dilect. de art. testand. caut.* 12.

XXXIII. Deportati & proscripti nullam habent testamenti factionem,
ideoque nec aliis quicquam relinquere ipsi possunt, nec eis relinquere te-
stamento potest. Sed si quis velit his incapacibus relinquere, stratagema
est, quod alius haeres, qui habet testamenti factionem instituatur, & roge-
tur haereditatem hujusmodi restituere, cum redierint in gratiam & restituti
fuerint. *l. in tempus ff. de hered. inst. Manz. ad §. 1. f. de fideic. hered.*

XXXIV. Ordinis ratio postulat ut stratagemata prosessus tam civilis
quam criminali subnectam utriusque exempla sunt sequentia.

XXXV. Actoris plurimum interest, ut ipsius advocatus suam actionem
in libello ritè proponat, & competentem actionem eligat, qui
enim nescit actionem, is etiam non intelligit jus, quod persequi vult in
judicio, imo nihil agit in agendo & quasi laterem lavat in obtainenda
clientis sui causa, quia non tenet formam, multo minus actionis exitum
& finem teste *Job. Oldend. in arg. oper. class. §. 1.* Si enim competens actio
non est proposita (cujus nomen tamen hodie non necessario debet ex-

20 DISPUTATIO JURIDICA

primi *Carpz. part. 1. const. 2. def. 13.*) & libellus rite formatus a Judice ex officio rejici potest. *C. examinata x. de jud.* Quando igitur advocatus non est certus de actione competente, vel conclusione congrua propter dubium fortè facti vel juris, stratagema est, ut modo tum factum ipsum, ut gestum diligenter & oppositè narret, & loco conclusionis hanc clausulam simpliciter adjiciat, super quibus omnibus & singulis peto jus & justitiam mihi administrari omni meliori modo & forma, qua de jure fieri potest & debet *Rosbach. in pr. civ. tit. 35. n. 13.* Virtute enim hujus clausulae sape in camera super non expressè petitis pronuntiatum fuisse testatur *Gail. l. 1. obs. 61. n. 11. & 12.* quia Judex per hanc clausulam censetur interpellatus, ita ut officium suum impartiri possit & supplere *Vultei vol. 1 conf. Marpug. conf. 18. n. 18. & 28. Klock. vot. cam. relat. 4. n. 103.* *relat. 8. n. 26.*

XXXVI. Accusator vel ejus Advocatus cautus esse debet, in formando libello in casu homicidii sc. ut modo simpliciter dicat accusatum perpetrasse homicidium, nulla autem qualitate adjecta *Job. Andr. in c. de homic.* quod si hoc non observaverit & libellum accusatorium in casu homicidii (ut plerumque fieri assolet) conceperit qualitate hac adjecta: accusatum nimirum dolosè violenter & perfidè defunctum occidisse, tunc pro accusato hoc stratagema ut contestetur litem simpliciter negando libellata & narrata prout ponuntur & narrantur esse vera salvis juribus & defensionibus suis suo loco & tempore proponendis. Tunc enim accusator non homicidium solum, sed etiam omnes qualitates annexas debet probare, usque adeo, ut iis omnibus sufficientissimè non probatis reus ordinaria pena non puniatur sed ab hac absolvatur, licet defensio a reo non fuerit probata. Et ita onus defensionem probandi reus declinat necessitate probationis contrariæ in accusatorem rejecta *Felin. c. 2. x. de rescript. n. 25.* Qui enim in libello factum qualificatum proponit, ad utrumpue probandum se astrinxisse censetur *Gail. de pac. publ. l. 1. c. 13. n. 3. 9. & 10.* Imo regulare est, ut quis suum libellum cum omnibus qualitatibus in eo propositis probet, *Berlich. p. 4. cond. 14. n. 3.* & generaliter Dd. concludunt, quod accusatus de criminis qualificato si non constet de qualitate debet absolvi, etiamsi crimen fuerit probatum, *Myns. cent. 4. obs. 80. Gail. lib. 1. de pac. publ. d. 6. 13. n. 7. Oldenkop in obs. crimi pract. t. 2. obs. 37.* Prædicta tamen vera sunt, si reus simpliciter narrata & libellata negat, prout narrantur & libellantur, secus si quidem factum confitetur, negat autem se occidisse dolosè, sed exhibito moderamine inculpatæ tutelæ tunc ei hoc onus probandi rectè imponitur, adeoque in litis contestatione cautus esse debet *Berlich. d. 1. n. 10.*

Si

XXXVII. Si morosi debitores nolint solvere, quod debent pupillis, viduis & aliis miserabilibus personis, sed se studeant, ut causas ad ordinariū processum deferant & ita immensis sumptibus has personas fatigent, ac per omnes instantias trahant, pro illis elegans hoc stratagema est, ut illos ad consistorium Principis vocent, quod haec personae facere possunt perl. un. C. quando Imper. int. popill. vid. &c. cogn. E contra autem haec ab illis statim ad supremum tribunal vocari non possunt, ne quidem rescripto principis per d. l. nec huic privilegio praeditæ personæ renunciare possunt, Cassin. l. 3. cont. c. 25. n. 23. & habet hoc privilegium quoque locum, etiam si lis coram Judice jam sit contestata, ubi tamen avocatio conceditur Schot. ad ff. de judic. q. 44. Inter miserabiles autem personas referuntur etiam omnes pauperes & debiles & qui diuturno morbo fatigantur. Schot. d. l. qn. 31.

XXXVIII. Maritus uxorem accusare potest adulterii vel criminaliter vel civiliter, sed utriusque actionis non est hic effectus ut lucretur dotem. Pro hac obtainenda pro strategemate traditur, ut coram magistratu Ecclesiastico agat civiliter, tunc enim separatione facta quo ad vinculum dotem lucratur. gl. in fin. amb. Sed hodie ad. jul. C. de adul. si agat criminaliter secus obtinet Amb. Guid. Costa de dole c. 6 n. 24.

XXXIX. Reus quando convenit in eo loco vel apud Magistratum, ubi & apud quem conveniri non debet, potest opponere exceptionem fori incompetenti l. pen. & ult. c. de ex. epi. Cautus tamen Advocatus strategemate potest efficere, ut Judicem regulariter non competentem non possit renunciare sc. si coram Judice, aliquid in dubium trahat, ut ille sententiam interlocutoriam ferat pro reo, tunc si reus hoc acceptat tacite in Judicem non competentem consensisse, & jurisdictionem prorogasse videretur, quia semel ejus jurisdictionem agnovit, nec postea pœnitentia locum habet l. ad solutionem x. de re judic. Cap. cum venisset x. de testib. & attest. Ummius in proc. disp. 8. lib. 2.

XL. Cum sapientissime clausulae renuntiationum à Notariis magis ex scientia & partium consensu instrumentis inserantur Dec. in consl. 52. n. 7. Stratagema est pro illo, cui illa renuntiatio nocet (v. gr. si mulier renuntiat SCto Vellejano, vel Titius conditioni indebiti vel alii juris auxilio) ut curet Notarium, qui in instrumento attestatus est, quod contrahens de beneficio renuntiato fuerit, certioratus à judice interrogari, quid sit illud SCtum vel beneficium, de quo pars certiorata fuerit, & in quo consistat illius vis ac efficacia. Si hoc ignorat Notarius, non potest talis renuntiatio ullum facere præjudicium renuntianti, eo quod non intellexerit vim talium verborum. Nec potuit Notarius certiorare partem de eo, quod ipsem ignoravit Gail. lib. 2. obs. 77. Ne autem mulier hoc modo

22 DISPUTATIO JURIDICA

modo & Notarium & Principales simul circumveniat, Notario de certioratione mentionem faciente aliud stratagema, contra eam est, ut juramenti religione arctetur ad firmandam renuntiationem & declarandam suam mentem, quod animum sciat in quo consistat muliebrium beneficiorum vis & efficacia. Hoc casu virtute juramenti mulier efficaciter obligatur etiamsi non probetur, quod de Vellejano certior redditia fuerit, quia juramentorum loco certiorationis est, ut censeatur mulier virtute juramenti omni legum ac juris auxilio renunciasse, si non in specie, saltim in genere. Excipiunt tamen DD. enormem lensionem *Gail. d. l. num. 10.*

XLI. Qui aliquem vulneravit faciat pacem, cum vulnerato de vulnere, & de omni eo quod de vulnere nasci potest, hoc si factum & postea vulneratus moriatur, haeredes occisi homicidam homicidii non possunt accusare, quia juri futuro per pactum potest renuntiari *l. 2. C. de part. & transactio de criminis publico capitali excepto adulterio est licita l. 18. C. de transact.*

XLII. Post publicatas in judicio attestations, disputationes in judiciis super testibus & attestatis fieri debent, *Gail. lib. 1. obs. 87. n. 1.* Actor igitur qui plerumque in his disputationibus primus facit conclusionem, der gemeinlich den schluss satz machet, diligenter hoc stratagema observet, ut in replicatione ad exceptiones rei, sua jura & allegationes, quibus utitur & obtinere sibi persuadet, non prouersus manifestet led leviter tantum exceptiones rei attingat, simuleque quasi ejus exceptiones infringere & refutare non possit, postea vero ubi reus cum sua dupla in causa concludit actor in sua triplica & ultima positione seu conclusione, im letzten satz oder schluss satz, omnia sua jura, rationes & allegationes effundat, proponat, in exceptiones evertat, de puncto ad punctum examineret, refutet & impugnet. Et hoc stratagema est admodum notabile, plurimumque ad causae victoriam facit, quia quae ultimo audiuntur, melius memoriae mandantur, & verba ultimo probata, quae nullo gladio nulloque telo percussa sunt, praestantiora sunt, cum per contradictionem res dubia efficiatur *l. 3. C. quib. ad libert. proclaim. non licet.* Et hoc verum est modo actor in ultima sua positione nihil novi afferat, quod prius non fuit deductum, alias hoc in conceptione sententiae non attenditur. *Berlib. part. 1. concl. 48 n. 29.*

XLIII. Regulariter in secunda instantia & in appellatione alii vel iidem testes super iisdem vel directo contrariis articulis de jure Canonico (quod in hac parte observatur *Berl. ch. part. 1. concl. 51.*) non possunt produci, ratio est, quia non minus in appellationibus, quam in causa principali

sub-

subornatio est timenda text. express. in clem. ult. de test. Sed elegans stratagem est, ut quis super aliis & diversis articulis ulteriori probatione utique queat, si quasi de novo experietur, quod utique facere nemo prohibetur, adeoque hoc modo per indirectum ad novas probationes admittitur, ad quas ipsi alias per indirectum aditus non patebat Berlich. d. l. n. 13.

XLIV. Magna est disceptatio inter DD. quomodo Judex procedere debeat, si plures in rixa vel tumultu aliquem occidant, & quomodo puniantur, si occisores non appareant, vel indicia nulla adsint, vel si quædam adsint, torturæ autem subjecti confiteri nolint, quisnam homicidium perpetraverit: sed optimum stratagema habetur, cuius auxilio Judex verum occisorem invenire potest, eumque reliquis dimissis ad mortem condemnare, ut simulatè omnes condemnent, si forte reus conscientiæ simulis atque morsibus convictus pro ea exoneranda homicidium fateatur, tum reliqui omnes liberentur, & Judex revocata illa sententia simulata rectè absolví debent & hoc stratagemate Carolum Magnum usum fuisse testatur & sequitur Andr. de Ifern. in Cap. 1. §. publici tit. de pac. tenend. & ejus violar. n. 2. Godelin. tr. de mag. & venel. l. 3. c. 7. codem ferè modo sapientissimus Rex Salomon litem eam, quæ erat inter duas fæminas de interempto puerō decidit 1 Reg. Cap. 3.

XLV. Omnibus notum est, quod injuriarum condemnatus fiat infamis per text. in L. lex Cornelii ff. de injur. Gail. l. 1. obs. 102. l. 1. Berlich. p. 5. concil. 63. n. 1. Ut autem quis peñam & infamiam evitet (1) stratagema est, ut talis qui injuriā homini intulit, statim antequam de loco reddit, injuriā revocet, dicendo ex incuria vel lingua lapsu vel calore iracundiæ ista verba excidisse F. rinax crim. lib. 1. t. 3. qu. 20. n. 58. sic etiam per talem revocationem cessat ipsa injuriarum actio. Rom. Ferras. aut 39. Dec. in 4 quod calo e de R. J. (ut reus ante litem contestatur perperam dicta revocat & se coram Judice & Assessoribus declarat, si verba illa, quæ ab auctore tanquam injurandi non protulisse, deque auctore non nisi bonum scire & sentire posse. Er wisse von Klägern nichts als alles liebes und gutes. Bart. d. l. Carpz. in pr. Cr. quest. 79. n. 12. (3) ut reus injuriæ estimationem vel pecuniariam peñam, quæ per sententiam imponi potest, ante offerat, quam sententia condemnatoria feratur. l 73. ff. de procurat Bert. d. l. n. 16. (4) Ut condemnatus vel auctoritate magistratus vel judicis, vel gratuito vel adhibita protestatione super illatis injuriis transigat & paciscatur. Berlich d. l. n. 10 & seq. (5) ut reus copiam sui in judicio non faciat, sed propter contumaciam condemnare se patiatur Job. Zang. de except. part. 2. l. 1. n. 177. (6) Ut petat in sententia existimationem honoris reservari, quod hodiè quilibet Judex ex justa causa facere potest,

si injuria non nimis fuerint atroces *Gilhaus. in arb. crim. C. 2. t. 34. §. 7. Bol. d. t. n. 39.*

XLVI. Restant adhuc, ut de feudalium stratagematibus nonnulla dicamus, inter quæ sunt sequentia.

XLVII. Et si hodiè recentiore Germaniæ consuetudine ad investituram non est necessarium, ut ea coram paribus curiæ aut aliis testibus fiat, si tamen posterior investitus præferri cupit, hoc adhibere debet Stratagema, ut sc. investituram coram paribus curiæ sibi fieri procuret. Nam licet publica solennitas non amplius sit in usu, adhibita tamen, effectum quendam habere debet, eum sc. quem jus commune publicis actibus addidit, qui est in prærogativa ut publicè acta præferantur clam & privatis actis. *I. ii. C. qui pot. in pign. Mevius p. 4 dec. 86. n. 3.*

XLVIII. Vasallo ex nobili conjuze filium habenti, cum post mortem illius se continentia dono non præditum esse sentiat, nec tamen velit alere concubinam quia id peccatum esse intelligit, nec etiam liberis prioris matrimonii successionis futuræ conditionem deteriorem facere cupiat, ad utrumque incommodum evitandum hoc subministratur Stratagema, ut despondeat sibi aliam mulierem ea lege, ut nec ipsa nec ejus liberi ex isto matrimonio nascituri amplius quid consequi debeant, quam tempore nuptiarum dictum fuerit. Et quamvis multi tale matrimonium ad morganaticam contractum ut turpe juriue contrarium judicent, alii tamen & quidem longe plures contrarium sentiunt. Nec desunt in jure feudali illius vestigia, quemadmodum videre est, in §. *sili nari 2. fendl. 26.* & in ipso quoque Germania ejusmodi conjugii exempla exstare recentiores Austriacæ, Bavariæ & Badensis familiæ casus ostendunt *Theod. Reink. Biblisch. policey l. 3. axiom. 3.*

XLIX. Creditori, cui pro credito feendum est oppigneratum sine consensu domini & agnitorum, hoc suppeditatur Stratagema, ut sc. curet feendum oppigneratum sibi tradi, quo casu antequam de credito ipsi fuerit satisfactum, feendum dimittere non tenetur. Eris enim feendum sine consensu domini obligari nequit *Math. de Afflict. de feud in rubr. de Vasall. qui contra Constit. Lothar. n. 4.* traditum tamen juste retinetur, etiam si pro credito obligatum non sit, nec enim ab obligatione ad retentionem valet argumentum negativum, cum facilius longè competit retentio quam actio, & quæ non licet obligare, permittitur retinere *Mev. p. 7. dec. 399.*

L. Possem quidem adhuc unam atque alteram thesin ex jure feudali adjicare, sed hæc pro temporis atque instituti ratione de stratagematibus scripta sufficiant. Altissimo interim, cuius auspicio atque beneficio has conscribere licuit Theses, sit

LAUS HONOR ET GLORIA.